Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31714
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ypapanti nisi participationem pasche precurrat.

De ypapanti domini.

De hac festiuitate dicit beda sacerdos et doctor eximius in libro de temporibus. Secundum mensem dicauit numa februo .i. plutoni qui lustrationum potens credebatur. Lustrari eo mense ciuitatem necesse erat quo statuit ut iusta diis soluerent manibus. Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutauit christiana religio. cum in mense eodem et die sancte Marie plebs uniuersa cum sacerdotibus ac ministris ymnorum modulatione deuota per ecclesias perque congrua urbis loca procedit. datosque a pontifice cereos in manibus gestat ardentes. Et augescente bona consuetudine id ipsum in ceteris quoque eiusdem beate matris et perpetue uirginis festiuitatibus agere didicit. Non utique ob lustrationem terrestris imperii quinquennem celestis regni memoriam. quando iuxta parabolam uirginum prudentium. omnes electi lucentibus bonorum actuum lampadibus obuiam sponso ac regi suo uenientes. mox enim cum eo ad nuptias superne ciuitatis intrabunt. hoc est cereos accensos in manibus portare in ypapanti quod est in presentatione sui unumquemque secundum habere opera sua. in quibus clarus et lucidus appareat in conspectu angelorum. Ypapanti domini non habet octauas. quo legaliter presentatus est in templo christus. sed nullus doctor nos coartat. ut infantes nostri .xl. die natiuitatis sue in templo presententur.

De Septuagesima.

De septuagesima. computatur secundum titulationem sacramentorum. antiphonarii. viiii. ne epdomadis. ante pascha domini in septima sabbati. Hec dominica habet initium et in sabbato finem. Populus enim tempus captiuitatis significat. qui peccando recedit a domino. et per misericordiam eius reuertitur ad requiem. Populus domini in babilone retentus est captiuus sub numero septuagenario. quo completo. reuersus est in ierusalem. Quanto tempore in captiuitate fuit ieremias manifestauit dicens. Perdam ex eis uocem gau